



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 77. Ferdinandi, ac Protestantium responsa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

§. LXXVII.

Sæc. XVI.
A.C. 1545.*Ferdinandi ac Protestantiam re-
sponsa.*

Rursus Romanorum Rex Protestan- Sleid. p. 532.
tium responsum his verbis exceptit: & 533.

*Decretum Spiræ factum de pace placuit tum
vobis, nec ulla intervenit alia cautio vel ex-
ceptio, cum & ante fuisset indicium Conci-
lium, & aliquanto post iterum denunciare-
tur: in Cameræ quoque confessum recipiendi
sunt homines idonei, juxta Decretum Spiræ
factum: quod cum ita sit, aequum est, ne
quid amplius hac super re requiratis, & cum
reliquis de bello Turcarum statuatis.*

Ad hæc Protestantes denuo hunc in
modum perorabant: Quoniam ob tempo-
ris angustias & imminentem hostem Religio-
nis causa minime traduci jam potest, & a
Concilio Pontificio nihil boni exspectandum;
hinc oramus, ut ante finem hujus Comitii
Cæsar alterum Conventum indicat, ubi con-
ciliationis viæ peruestigentur amice: decre-
tum est Spiræ primum, ne quid moveatur
turbæ propter Religionem, deinde ut pia &
amica disceptatione dissidium hoc omnino
concilietur: huic nempe fundamento Germa-
niae pax insistit, neque desideramus quid am-
plius, modo res in eo permanisset: nunc
vero, quando Pontifex, ut conciliationem
hanc disturbet & impedit, Concilium indi-
xit,

Sæc. XVI. xit, in quo solus ipse cum suis definiendi po.
A.C. 1545. testatem obtineat, cuius etiam Decreto paci-
ficationem superiorem finiri plerique omnes
dicunt, necessaria nobis est cautio amplior:
neque vero novum est, quod requirimus, sed
illud ipsum, quod Spirensi Decreto contine-
tur: cur enim Pontificis cognitionem atque
Concilia recusemus, editis libellis jam pridem
demonstravimus, Et ante annum tertium,
quando Pontifex, misso Spiram Legato,
Concilium promittebat, contra testificati su-
mus, ut publicis Commentariis docere pos-
sumus: breviter, quoties Concilii Pontificii
facta est mentio, semper illud repudiavimus,
Et solenniter quidem in omnium Ordinum
confessu: Jam, etiamsi Spiræ nihil ea de-
re sit exceptum, tamen si bellum est gerendum
in Turcam, opus est, ut prius pacata
sint omnia domi: nam in bellum istud pecu-
nia imperanda est populo: sed quo jure vel
qua fronte pecuniam quis exigat a suis, nisi
certam spem illis faciat, fore, ut in sua re-
ligione cum liberis Et uxoribus tuto perma-
neant? nimirum eo suscipitur bellum in Tur-
cam, ut Et cujusque facultates, Et Respu-
blica, Et vera Religio conserventur: belli-
gerari vero cum Turca, Et interim domi ex-
positum esse periculo, quantulum hæc inter-
se differunt? gravis igitur subest causa, cur
amplius caveri nobis petamus: de Camera
placet nobis, quod dictum sit, ex præscri-
pto Decreti Spirensis constituendam esse: de

sii-

flipendiis autem eo conferendis cum reliquis Sæcul. XVI.
deliberare volumus.

A.C. 1545.

Hinc Principum altercationibus integer mensis Aprilis usque ad septimam Maji diem absumebatur, quin tamen concordia inter eos revocari potuerit.

§. LXXVIII.

*Cæsaris Legatique Pontificii adven-
tus Wormatiam.*

Cum ergo Ferdinandus Protestantes *Sleid.* &
Principes suis opinionibus pertina- *Cochl. l.c.*
 citer infistere cerneret, totum negotium
 ad Cæsaris adventum remittebat. Di-
 scesserat hic Bruxellis die duodecima
 Aprilis, ac præpediente podagra non ni-
 si modicis itineribus die decima sexta
 Maji Wormatiam venerat: altera vero
 die pariter Cardinalis Farnesius Papæ
 nepos urbem ingressus est, brevem ta-
 men ibidem moram traxit; cum enim
 Cæsarem rogaret, ut Concilii celebra-
 tionem promoveret, sequeProtestantium
 hostem palam profiteretur, Imperator
 vero ad repellendos Turcas Protestan-
 tium ope ac suppetiis indigeret, hinc il-
 lis adversari noluit, sed Cardinali respon-
 dit: „Si Pontifici bene visum fuerit, Sy-
 „nodum suam inchoare poterit: ego vero
 „me huic negotio ingerere nolo (").

§. LXXIX.

(*) Hoc responsum a Continuatorre mere in
 Cæ-